

## Band II., Nr. 380, Seite 142-144

*Abt Ulrich von Reichenau bekundet, wie Konrad von Beuren seinem Kloster zu eigen übergeben, und demselben das Recht der Reichenauischen Edlen zugesichert worden sei.*

## Weildorf, 1163.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Notum sit omnibus fidelibus hominibus, tam praesentibus quam et succedentibus, qualiter Chōnradus, filius Hartuigi de Burrun, primum Augiensi ecclesiae a liberis hominibus traditus est. In tempore Chonradi regis quidam liber homo, nomine Chonradus, in castello quod dicitur Hirsbil residebat, qui multis virtutibus atque divitiis equanimiter pollebat, cuius unicus filius, nomine Hainricus, filiam Reinhardi, liberi hominis de Tapheim<sup>1</sup>, nomine Richenzun, uxorem duxit, de qua filium cum nomine avi sui C(honradum) et filiam nomine matris suae R(ichenzun) generavit. Quibus genitis pater eorum non diu vixit. Nam cum castellum comitis Eberhardi quod Nellenburg vocatur a comite de Chiburc Adelberto impugnaretur, contigit ut pater puerorum ibidem a quodam sagittario interficeretur. Post cuius mortem C(honradus) pater patris puerorum et R(einhardus) pater matris eorum, statuto tempore in quandam villam, que vocatur Altheim<sup>2</sup>, in publico placito comitis Marchuardi cum matre puerorum R(ichenza) convenerunt, et uterque omnem substantiam suam quam in Sweuia et in orientali Francia tam in prediis quam in hominibus utriusque sexus tunc temporis habuerunt, ex integro pueris tradiderunt. Cui traditioni sex comites interfuerunt: Marchwardus cum filio suo Manegoldo, comes Diepoldus et frater suus Rappoto, comes Burchardus de Zolrem, comes Rudolfus de Rammesperc, et insuper LVI liberi homines quorum nomina longum est enumerare, exceptis aliis quam pluribus militibus, qui omnes hanc traditionem audiverunt et viderunt. Comes vero Rōdolfus prefatum puerulum C(honradum), quia tenere eum diligebat, in brachio suo honorifice tam diu tenuit, donec, Witegōne de Albeche, eiusdem pueri cognato, omnia legaliter predocente, ab utroque avo cunctam traditionem sibi suaeque sorori suscepit. Quam traditionem predictus puer C(honradus) paucos annos possedit. Nam post mortem avi sui C(honradi) ad cognatum suum, comitem Adelbertum de Diligen, se transtulit, cum quo, quum aliquos annos, factus probus adolescens, moraretur, ludens cum caeteris iuvenibus circa Danubium, proh dolor! contigit, ut ex inproviso in eodem flumine infeliciter submergeretur. Quo submerso cadaver

<sup>1</sup>Tapfheim, DON, nicht Dapfen.

<sup>2</sup>Wohl Alheim, Frickingen, FN, nicht Alheim, Alheim, BC.

## II

eius a nullo reperiebatur, et omnis familia sua, tam maior quam minor, in morte eius desolabatur. Cuius mortem Suuiggerus et frater suus Heinricus de Gundeluingen, filii amitae suae, postquam primum perceperunt, omnem traditionem, quam senior Chunradus aequivoco suo puerulo C(honrado) et sorori suae Richenzae antea tradiderat, in usum suum usurpaverunt et cognatae suae R(ichenzae) penitus nihil reliquerunt. Factum est autem ut Chonradus rex moreretur, et fratruelis suus, nomine Fridericus, in regnum a principibus constitueretur. Quo regnante Reginhart de Tapheim cognatam suam, filiam filiae suae Richenzum, cuidam militi nomine Chonrado nubendam tradidit, qui super omnem Augustam civitatem urbicomes<sup>3</sup> potenter extitit. Interim dum haec agerentur, Fridericus imperator magnum placitum cum episcopis, abbatibus, ducibus et cum reliquis principibus in villa quae dicitur Ulma condixit, cum quibus multa utilia et necessaria de statu regni disposuit. In quem conventum predictam Richenzam eius amici detulerunt. Nam Suiggerus et frater suus H(einricus) de Gundeluingen pariter illuc venerunt. Quos duos Richenza ubi coram imperatore astare conspiciebat, statim cum prolocutore suo impetebat, conquerens, ut omnem traditionem quam sibi fratrique suo C(honradus) avus eorum tradidisset, tam in prediis quam in hominibus utriusque sexus, prorsus abstulissent. Tandem multis questionibus hinc et inde de hac causa habitis et consumptis, ab imperatore et a caeteris principibus coacti sunt iudiciali ordine et bono consilio, ut illam partem, tam in prediis quam in hominibus, quam R(ichenza) possedisset, si frater eius adhuc vixisset, ex integro restituerent; quod et ita fecerunt, sicut imperator et caeteri iudices censuerunt et consilium dederunt, homines et predia prefatae mulieri reddiderunt. Inter quos homines traditus est Chonradus, filius Hartuuigi de Biurrum, prefatae mulieri R(ichenzae), quem ipsa rogatu Ödalrici, cognati sui, tribuit Augiensi ecclesiae, in quo monasterio idem Ö(dalricus) tunc fuit custos, frater et monachus, per cuius manum, et per manum H. plebani de Vlleingen misit et commendavit eundem C(honradum) Swiggero cognato et advocato suo tali conditione, ut traderet eum ad monasterium sanctae Mariae quod constructum est in insula quae vocatur Sintlezesowa<sup>4</sup>, et talem iusticiam atque legem sibi a domino abbate Ö dari impetraret, qualem caeteri Augienses, qui abbati et fratribus suis in eadem insula serviunt, obtinent. Quod sicut ipsa petiit factum est. Nam predictus Swiggerus tradidit eundem Chonradum in manus duorum liberorum virorum, scilicet Brunonis de Marchdorf et Adelberti, filii Burchardi de Frichingen, ipso Burchardo rhetorice atque secundum legem Sueuorum prudenter edocente, quibus verbis C(honradum) de manu Swiggeri caute susciperent, et quali sermone eundem

---

<sup>3</sup>Der von Schwabeck.

<sup>4</sup>Ursprünglicher Name der Reichenau.

### III

C(honradum) super reliquias sanctae Mariae, genetricis dei summi, forent tradituri, et qualiter eandem iusticiam atque legem quam Augienses incolae tunc haberent, eandem etiam sibi apud dominum abbatem Ö. obtinerent. Insuper S(wiggerus) omnem proprietatem et advocatiam quam a semet ipso et a cognata sua R(ichenza) super predictum C(honradum) antea habuit, in manus predictorum virorum se amplius habere fideliter refutavit et abnegavit. Haec omnia facta sunt in villa Wildorf, que sita est prope castellum quod vocatur Berge<sup>5</sup>, in quo C. Constanciensis advocatus, et frater suus comes H. habitant, presente Ö(dalrico) custode Augiensis ecclesiae; Marchuardo milite, Wizemani filio, presente, Ö. ministro de Aloluespach presente, A. de Houe<sup>6</sup> scutifero abbatis Ö. presente, Gerungo de Kahenang presente, Chonrado milite de Lezen<sup>7</sup> presente et aliis multis qui cum ipso Swiggero advenerant. Illi omnes hanc traditionem viderunt et audiverunt, et sicut Swiggerus omnem proprietatem et advocatiam quam super predictum C(honradum) hucusque habuit, in manus Brunonis et Adelberti doctis verbis deposuit, et in perpetuum abnegavit, similiter H(einricus), Swiggeri germanus, occurrens prefatis viris in sylva que adiacet villae que . . . egingen<sup>a</sup> vocatur, omnem proprietatem et potestatem quam super eundem C(honradum) habere potuisset, Burchardo de Frichingen predocente, in manus Brunonis et Adelberti penitus deposuit et perpetualiter abnegavit. Et ut haec traditio et confirmatio amborum stabilis et robusta fideliter et aeternaliter habeatur, utrique talentum Constantiensis monetae dabitur. Deinde prefati viri Bruno et Adelbertus, nobilitatem in qua nati sunt benivolamente sectantes, Chonradum, eorum fidei depositum, super reliquias sanctae dei genetricis Mariae offerebant, fidemque suam per hanc traditionem expurgaverunt, et legem atque iusticiam nobilium Augiensium, domino Ö. abbate donante, multis de maiori familia atque minori astantibus, pepigerunt. Ergo omnes populi prope vel longe positi veraciter comperiant, quod ego Ö. Augiensis abbas talem legem et iusticiam Chonrado tradidi quam de manu B(runonis) de Marchdorf et Adelberti de Frichingen ad obtinendum sanctae dei genetrici M(ariae) suscepi ut, nec ab ipso Swiggero, vel a fratre suo Heinrico, qui per manus predictorum virorum B(runonis) et A(delberti) rationabiliter et legaliter mihi eum miserunt, aut ab aliquo homine, nisi graviter in dominum contra ius et contra fas peccent, ab hoc monasterio queat abstrahi.<br> Acta est haec traditio a Swiggero de Gundeluingen in villa Wildorf, anno dominicae incarnationis MCLXIII., Friderico imperatore regnante, Ö. Augiensem dignitatem bene gubernante,

---

<sup>a</sup>Der Anfang des Wortes ist durch eine Korrektur unleserlich. Schmidlin liest ... *gingen*.

<sup>5</sup>Heiligenberg.

<sup>6</sup>Hofen, Gachnang, Kt. Thurgau, Schweiz.

<sup>7</sup>Wohl ein Weiler Letzi im Bezirksamt Weinfelden, Kt. Thurgau, Schweiz.

#### IV

Hermannō Constanciensem episcopatum feliciter regente. Ego Ō(dalricus), presbyter indignus, custos ecclesiae, scholarum magister, scripsi hoc testamentum.

—

Der Textabdruck erfolgt nach Gabelkover: *Miscellanea historica* (Handschrift der WLB Stuttgart), 3, S. 399.

## Überlieferung und Publikationen

### Lagerort:

WLB Stuttgart

### Signatur/Titel des Originals:

cod. hist. 8° 16c, 399

### Überlieferung und Textkritik:

Eine Abschrift davon auch bei Schmidlin: Collectanea, Bd. 2, Nr. 5. Bei der ziemlich buchstäblichen Übereinstimmung der letzteren Abschrift mit der ersteren darf wohl angenommen werden, dass Schmidlins Quelle die Abschrift Gabelkovers gewesen ist. Schmidlin setzt an den Rand seiner Abschrift „*ex copia*“.

### Editionen:

Schmidlin: Collectanea, Bd. 2, Nr. 5.

### Regesten:

Regesten Grafen von Berg, S. 11, Nr. 10.

### Literatur:

Brandi: Reichenauer Urkundenfälschungen, S. 31 (echt).

## Weitere Angaben

### Sprache:

Lateinisch

### Ausstellungsort:

Weildorf

### Ortsindex:

Albeck Wohnplatz (16843)<br> Albeck, Langenau, UL<br> Allensbach Wohnplatz (14257)<br> Allensbach, KN<br> Altenbeuren Wohnplatz (18224)<br> Altenbeuren, Salem, FN<br> Altheim Wohnplatz (17044)<br> Altheim Wohnplatz (17825)<br> Altheim, BC<br> Altheim, Frickingen, FN<br> Augsburg, A<br> Burg Hohenzollern Wohnplatz (16302)<br> Burg Hohenzollern, Bisingen, BL<br> Dapfen Wohnplatz (15849)<br> Dapfen, Gomadingen, RT<br> Dillingen an der Donau, DLG<br> Donau<br> Franken<br> Frickingen Wohnplatz

(17832) <br> Frickingen, FN <br> Gachnang, Kt. Thurgau, Schweiz <br> Gundelfingen Wohnplatz (15913) <br> Gundelfingen, Münsingen, RT <br> Heiligenberg Wohnplatz (17938) <br> Heiligenberg, FN <br> Hirschbühl Wohnplatz (12806) <br> Hirschbühl, Eschbronn, RW <br> Hofen, Gachnang, Kt. Thurgau, Schweiz <br> Konstanz Wohnplatz (14442) <br> Konstanz, KN <br> Kyburg, Kt. Zürich, Schweiz <br> Letzi <br> Markdorf Wohnplatz (18037) <br> Markdorf, FN <br> Nellenburg Wohnplatz (14664) <br> Nellenburg, Stockach, KN <br> Ramsberg Wohnplatz (17951) <br> Ramsberg, Heiligenberg, FN <br> Reichenau Wohnplatz (14588) <br> Reichenau, KN <br> Tapfheim, DON <br> Ulm UL <br> Ulm Gemeinde (16620) <br> Unlingen Wohnplatz (17712) <br> Unlingen, BC <br> Weildorf Wohnplatz (18268) <br> Weildorf, Salem, FN